



# Danskernes Historie Online

Danske Slægtsforskeres Bibliotek

## Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online

**Danskernes Historie Online** er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

### Støt vores arbejde – Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

### Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

### Links

Slægtsforskernes Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

# PROLUSIO

AD

SOLENNIA

IN SCHOLA

CATHEDRALI ROESKILDENSI

DIE IV JULII ANNO MDCCCXVI

AGENDA.

DE POETRIIS GRÆCIS PAUCULA QVÆDAM

SCRIPSIT

P. G. FIBIGER, ADJUNCTUS SCHOLÆ.

---

H A F N I Æ.

TYPIS ANDRÆ SEIDELINI.

1816  
Statens pædagogiske Studiesamling  
København V.

RECTOREM

DOCTISSIMUM DILECTISSIMUMQVE

SEVERINUM NIC. JOHAN. BLOCH

SCHOLÆ NOSTRÆ MODERANDÆ

MUNUS AUSPICANTEM

OPTIMIS EXCIPIMUS

OMINIBUS

COLLEGÆ ET DISCIPULI.

**I**nvolat pernix strepitante pennâ  
cultâ camporum rigidosqve montes,  
falcis abrumpens acie ferocî  
omnia tempus.

Arduum cedri caput en ruinam,  
urbis et moles, populiqve lati,  
artium flores, sapiens, colonus,  
rexqve trahebant.



Nulla sed leto dare sempiterno  
vis, sator rerum! sed adhuc in astra  
cedrus exurgit, rosa semper artis  
et redit ardens.

Helladis nos in cineres soluta  
templa vernantis gemimus, piisque  
sensibus tacti monumenta pulcri  
quærimus orbis.

Arbor heu! pulvis jacet hæc juventæ,  
celsa quæ fudit tenerosque fetus  
Atticæ, dulces Tiberisque ripis  
sparsit odores!

Voce qui docta sonuit Platonis,  
dic, ubi est hortus? Cecidit sacellum \*)  
illud, attendit chorus unde Pindi  
lætus alumnum!

Dic, ubi frondes, quibus umbra textit  
mollis illius pueros Lycæi;  
auro ubi splendens et amicta veste  
Pallas \*\*) eburnâ ?

Ergo mortali remeabit ætas  
ista non genti juvenilis unquam?  
Heu! premunt ergo seniora fractam  
secula prolem?

\*) Musarum in horto Academiæ.

\*\*) Phidiæ.

Irrigans herbas venit æstuentes  
imber arborum — geminabit ignes  
Sirius tristes — sed in alta coeli  
ille revertet!

Sidit ad cæcas tenebras metalli  
gaza, gemmarum radiiqve clausi  
nocte permulti, quibus Hellas olim  
mitis et ampla

Roma fulserunt: leve nec beatæ  
copiæ pondus latebris revulsum;  
plura sed restant fodienda seri  
temporis arte.



Arte, qva summâ schola Te salutat  
nostra pollentem, celebrat diemqve  
hanc orans, tandem sibi Te daturam,  
o bone! patrem!

Aspero saltu nemorum puella  
orba ceu, nec jam genitoris, olim  
qvem tulit fatum, memor, aviis qvæ  
sola vagatur :

repperit si qvis probus, atqve amore  
captus attollit manibus venustam,  
nuncupat natam, dicat alterum ipsi  
seqve parentem:

icta tum grato petit illa sensu  
colla tutoris — schola nostra sic Te  
excipit, sic Te vocat alterumque,  
o bone! patrem!

Aureos sollers cumulos recludes  
namque thesauri veteris, peritâ  
Tu manu, curâ vigil ac labore  
non gravis ullo.

Ecce, quam dites, numerosa circum  
turba Te stipat puerorum, amicum  
atque doctorem — Tibi svave ridens  
Dania missam

hinc sibi cernet juvenum catervam,  
qvæ Tuis donis onerabit aras  
et Themistæ altas, Sophiæqve, Hygeæqve  
Eusebiæqve.

Tolle robustum, schola! tu superbe  
culmen, haud paucis celebrata seclis,  
usqve defendas patriæ Camenas,  
et decus omne! —

---

"Tu licet Antiopæ formam Nycteidos, et tu  
Spartanam referas laudibus Hermionen,  
Et quascunqve tulit formosi temporis ætas,  
Cynthia non illas nomen habere sinet.

— — — — —  
— — — — —

Hæc sed *forma* mei pars est extrema furoris;  
Sunt *majora*, quibus, Basse, perire juvat."

Propert.

Elegiar l. 1. El. 4.



---

## *De Poetris Græcis.*

---

Quantos in studiis humanitatis, omnique animi cultura Græci progressus fecerint, videtur illud imprimis testari, quod non in singulis meliori conditione ingenioque hominibus, vel hominum singulis ordinibus latebant artes liberales, infesto quodam limite circumscriptæ, (uti aliorum sæpissime seculorum ratio fuit), tam vero late vim suam exserebant, omniaque ramis veluti suis ita complectebantur, ut ipsa gens ad altum perfectionis gradum posset ascendere. — Pluribus id verbis, atque ab omnibus partibus illustrare, hic non experimur. Unam modo, quæ ad illud probandum non ultima accedat, rem oculis nostris propius admoveamus.



Mirari quidem subit, cum nostris temporibus nullæ omnino, quæ in arte poetica summam adeptæ sint laudem, quæ vero majorem vel mediocrem etiam obtinuerint, paucæ feminæ reperiantur; extitisse in Græcia tum claras permultas, tum tales præcipue, quæ maximam sibi gloriam ingenii vindicarent \*). Et magis tamen coercitum, atque a consuetudine hominum eruditorum, ac liberaliori institutione longe remotius fuit feminarum Græcarum vitæ genus quam Nostrarum. *Ἐταίρας* fuisse, aliquis objiciet, illarum complures, quibus liberior ratio vivendi, atque ad cognitiones multarum rerum, omnemque in artibus facultatem perveniendi via facilior. At si vel hanc illamve *Ἐταίραν* putamus dici posse, minime ideo de omnibus idem valet, aut potest probari. Num itaque in causa amplior ille honos et præmia publica fuere? Num gentis

\*) Fateor quidem, me ex 150 fere libris libellisque, de feminis omnium populorum illustribus, qui ab Oleario in Diss. de Poetr. Græc. citantur, nil pæne potuisse haurire, cum paucos istorum mihi inspicere licuerit; a veritate tamen affirmationem hanc abhorrere haud putaverim.

universæ ingenium? Num indoles denique ipsarum? — Videamus autem de ipsis. — Recensentur, a viris eruditis, Poetriarum Græcarum plusquam septuaginta. (76 numerat Olearius). Uti autem de lyricis atque oratoribus novem, item e tragicis Ptolomæorum seculo *πλειας* illa notissima, ita ex hisce etiam selectæ novem sunt, quæ ceteras excellere. Fuisse has novimus: (ordine chronologico) *Sapphonem, Erinnam, Myrtidem, Corinnam, Praxillam, Nossidem, Anyten, Myronem, Telesillam* (v. Epigr. Antipatri in Brunck. An. Vol. 2, pag. 114, XXIII). Ac ne res nobis propositas confundamus, ipsique in tricas conjiciamus, via est nobis eligenda, per quam ordines temporum sequentes tum ex potissimis quædam colligamus, tum adferamus, si quid hic et illic, quæcunque id erit, habituri simus annotandum.

Jam igitur primam illarum delineaturum valde dubium reddi me sentio, exhausta videntem a summis doctissimisque viris fere omnia, quæ huc pertinerent. Cum vero id agam inprimis, ut una quasi tabella utcunque comprehendam eximiarum apud Græcos poetriarum imagines, omittenda minime erit illa omnium longe

inclytissima, tametsi rudis sit manus, quæ eam depingere conetur.

Μναμοσυναν ἔλε θαμβος, ὅτ' ἔκλυε τὰς μελιφωνου  
 Σαπφους, μη δεκατην Μοισαν ἔχουσι βροτοιες.  
 (Anthol. Jacobsii II, p. 19). Sed vere habuisse, testis est tota antiquitas. Oriunda erat, quæ, post Homerum, evaderet omnium fere Græcorum ingeniorum nobilissima, *Sappho* ex Mitylene Lesbi urbe Ol. 42 v. 44, (Fabr. Bib. Græc. ed. Haries V. 2, p. 137) ita incerto autem patre, ut octo a Suida, quibus vitam deberet, enumerentur. Verus fuisse creditur Scamandronymus, mater Cleis. Ac. multa sunt, quæ eam principem, ostendant poetiarum. Nam quod in Criticorum re-  
 censionibus de aliis illarum nullis reperimus, id ei contigit, ut vultus ejus nummis imprimeretur, gemmisque incideretur, præter alios modos, quibus Lesbi gratæ civitates studerent nomen ipsius immortalitati mandare. Quin et dramata condidere nonnulli, *Sapphus* nomine inscripta. Imaginem ejus, a Leone pictam possidebant Athenæ Statua ænea a Silanione elegantissime elaborata (posteaque a Verre sublata) Prytaneum Syracusanum ornabat. Laudibus ejus summis abundabant quam plurima cum epigrammata, tum veterum testimonia autorum. De ingenio



itaque ipsius omnes consentiunt. De moribus autem et apud antiquos et recentiores lis semper fuit vehementior. Quæ quidem inde præcipue mihi orta esse videtur, quod duas assumant viri eruditi Sapphones: Nostram alteram, alteram Eresiam. Habebat Sappho Mitylenæa, (æque ac postea ejus discipula Damophyla) in contubernio, virgines, quas ad poesin veluti educabat, et quarum plures commemorantur. Α μαθητριας autem illis diserte Suidas distingvit nominatque nonnullas ejus *ἑταίρας* quibuscum obscoena quaedam familiaritate vixisse accusatur. Ita igitur reprehensionem omnem a Mitylenæa nostra amovere alii volunt, ut ad Eresiam istam transferant, invitis aliis, qui hoc vitium Mitylenæe vere inhæsisse contendunt. — Verum enim vero, si severiore, omneque partium studium despiciente animo examinare velimus, quod adhuc restat, carmen *ῥεις γυναίκα ἔρωμενην*, haud facile poterit, ut mea quidem fert opinio, negari: compositum illud esse *ad feminam*, arguit enim verbum *ῥωμηρ*, quem conspectus *της ἔρωμενης* voluptate pertentet, similemque diis reddat, arguunt verba *ἄδυ φωνασαι* et *γελαις ἱμεροεν*, quæ non nisi fæmineas indicare illecebras videntur. Si vero ad feminam esse concedamus, vix illud

quodque tollemus, quod motus hic intimi pectoris corporisque totius, quod æstus hic perturbationum vehementissimarum, tantum non in dementiam, animique abiens deliquium, non potest omnino esse apud lyricam poetriam, fictum quid aut lusus aliquis ineptus. Græcos scilicet eosdem, qui tanta cum protervitate levitateque παιδερασια isti indulgerent, graviores sese adversus hanc τριβαδικην ἄσελγειαν gessisse opinabimur? Sed nauseam movet in hanc rem diutius inquirere. Etiam illa de amore Nostræ erga Phaonem relata agnoscere non volunt. In Eresiam igitur et hoc protinus rejicietur. Num autem Vestalis Sappho fuit? Videntur sane, et ἄισμα εἰς Ἀφροδίτην et fragmentum:

Δεδυκε μὲν α Σελανα etc.

probare contrarium. Equidem intelligere non valeo, quanam tandem ratione tantum attingere posset artis fastigium, nisi alacriori animo instructa et sensibus concitata fervidioribus Hos vero etiam ad vitia impellere posse et solere nemo non fatebitur. Atque illud ipsum denique est, quod Sapphonem a ceteris distinxisse poetriis arbitror, ac fecisse, ut nulla adhuc par ei inventa sit; cum major numerus earum, quæ ad



poesin animum appellerent, vel affectus sine ingenio, vel sine veris affectibus haberent ingenium, Sapphonem vero et ingenio et altissimis animi sensibus ita alma donasset natura, ut decima vere per omne ævum Musa appellari mereret. — Quæ deinde nobis se offert, *Erinna*, *Lesbia*, Sapphus æqualis atque *ἑταίρα*, valde honorificum sibi inter Poetrias nomen vindicabit. Puellam admiramur, quæ cum anno ætatis 19 obierit, tantum in arte poetica assecuta est, ut versus ejus (secundum Eusth. in Hom. II. v. 726) homericis pares sint judicati. Noluerim tamen hoc eam habere vim, ut sit ipsa quasi alter *Homerus* existimanda. Quod si ita esset, majorem certe habuisset *Erinna* celebritatem et per omnia tempora inclaruisset ejus ingenium. Pertinet vero laus illa fortasse ad versuum ipsorum *μηχανικην*, ad rythmum, nativam quandam elegantiam, vim aut proprietatem verborum et similia, quæ singulis modo virtutibus contineantur, non omnem ingenii magnitudinem efficiant. Antiphonis tamen epigramma non magni *Erinam* facit, quando Grammaticos taxat, qui in poetria Nostra, plebejisque versificatoribus colaudandis inepte se gerunt:

- — Γραμματικῶν περιεργα γενῆ  
 — — ἄτυχοις σῆτες ἄκαιοτοβαται  
 — — ἔπ' Ἡριννῆ δε κομῶντες.

Redarguitur autem hocce Antiphonis iudicium ita ab aliis autoribus, ut e mediocrium illam poetarum plebe fuisse minime credamus. Namque ut illud taceamus, quod amica Sapphus fuit (testimonium quidem indolis poeticæ non satis validum) exstat Antipatri quoque epigramma pulcherrimum, magna eam ornans laurea Apollinari:

Παυροπέης Ἡριννα — —

ἄλλ' ἔλαχεν Μουσας τουτο το βαιον ἔπος

— — — — —  
 λωῖτερος κυκνου μικρος θροος, ἦε κολοιων  
 κρωγμος ἔπ' ἑιαριναις κιδναμενος νεφελαις.

Leonidas porro in Anthologia, Asclepias, Incertus quidam, qui item cycni cantui assimilat carmina Nostræ; Meleager, γλυκυν etiam Ἡριννῆς παρθενοχρωτα κροκον sua ὕμνοθετα σεφανῶ innectens, aliique præstantiæ Erinneæ testes esse locupletes videntur (Vid. inprimis Christodorum, Brunckii Analect. Vol. 2, pag. 460). — De carmine ejus ἠλακατη, colus (quantum ex titulo conjicere audeam, fortasse idyllicum, vel simile quid) nil scimus, nisi

quod ex trecentis hexametris constabat, home-  
 ricum, (si fides, ut ante diximus habeatur Epi-  
 grammatistæ apud Suidam) ingenium plane spi-  
 rantibus, quæ inprimis ei gloriam videntur pe-  
 perisse et summam illam prædicationem: Σαπφω  
 δ' Ἡριωνῆς ὅσπον μελεεσσιν ἁμεινων Ἡριωνα Σαπφους  
 ποσπον ἐν ἑξαμετροις. Statuam denique Erinna  
 æneam habuit, a Naucyde fabricatam. Quod  
 vero ad odam εἰς Ρωμην attinet, quæ illi vulgo  
 adscribitur, lis fuit inter viros eruditos, sitne  
 Erinnæ nostræ, an alius cujusdam Erinnæ. Nam  
 si Nostræ assignemus, in urbem Romam (quod  
 plures contendunt) minime esse poterit, cum  
 Tarquinii Prisci temporibus, quæ in poetriæ hu-  
 jus ætatem incidunt, ad tantam Roma opulen-  
 tiam, quantum ei oda tribuit, nondum perve-  
 nisset. Itaque aut senioris alius in Romam, aut  
 veræ Erinnæ in Fortitudinem carmen composi-  
 tum fuerit. Priorem Gesnerus, Stephanus, Lip-  
 sius, al. posteriorem Hugo Grotius et A. Schnei-  
 derus sententiam complectuntur. Si vero inter  
 tantos viros levem afferre liceat opinionem, vi-  
 detur mihi, eos, qui in urbem Romam scrip-  
 tum esse odarium contendunt, effugisse, quod,  
 tumidior forte esset ὑπερβολη, de urbe, de ira-  
 perio humano dicere:



Παντα δε σφαλλων ὁ μεγαισος αἰῶν  
 και μεταπλασσων βιον' αλλοτ' ἄλλος,  
 σοι μονα, πλησισιον ὄυρον ἄρχας  
 ὄου μεταβαλλη.

qvæ ferenda utiqve forent, si numen aliquod sibi poetria cogitasset. Serissimis quidem temporibus ampullas ejusmodi haud alienas fuisse satis constat. Isti autem versus tum minus responderent ceteris, qvæ in hoc carmine sunt plane egregia.

Qvæ in serie poetriarum mox seqvitur, *Myrtis* Anthedonia, (Olymp. 65) paucula modo de se nobis memoranda reliquit. Qvare omnium instar testimoniorum fragmentorumqve, ingenium ejus et quantum in arte poetica valuerit illud probabit, qvod (secundum Suidam) magistra fuit Pindari atqve Corinnæ. Præter alia qvædam epigrammatum et autorum de illa præconia, liqvet etiam ex fragmento Corinnæ, eam cum Pindaro carminum certamen iniisse, ob qvod Nostram Corinna reprehendit, nos vero laudamus.

Iam ad *Corinnam*, Tanagræam vel Thebanam (Ol. 65 vel 69) deferimur, qvæ in celeberrimarum apud Græcos feminarum numero est utiqve reponenda. Magnam igitur et hujus pa-

riter ac omnium reliquarum in scriptis ita deperditis, ut præter aliquot versiculos nil omnino supersit, fecimus jacturam. E Myrtidis autem, una cum Pindaro, institutione profecta est, tempore tamen prior, ut videtur. Notissima sunt atque ad poetriam hanc immortalitati tradendam vehementer faciunt ejus cum Pindaro, Lyricorum principe certamina; quinqvies enim, ferunt, Thebis eam illi victoriam præripuisse. Quam licet gloriam ita obtrectent quidam, ut vel propter juveniles Pindari annos ingeniiqve immaturitatem, cum Corinna esset adultior, vel propter inscitiam judicum vel favorem palmam reportasse eam contendant: sunt tamen, quæ ad altum Nostram claritatis gradum evehant, indicia. Neque enim ultima, ut mihi videtur, laus fuit, præstare Pindaro, licet juveni, in arte tam exercitato, ut ad publicum certamen progredi auderet, neque illa prorsus gloria, aut ceteræ ejus laudes esse possunt immeritæ, cum (teste Pausania in Bæoticis lib. 9 cap. 22) in celebri apud Tanagræos urbis loco monumentum habuerit, in gymnasio ipsa esset picta, tænia redimita, victoriæ illo insigni, quam de Pindaro retulerat. Varii porro scriptores eam tanquam inclytiorem feminam commemoravere: quorum



Themistius (Orat. XXVII p. 334 ed. Harduin) a Corinna, Pindaro, Hesiodo \*) maculam stupiditatis istam, qua odium Atheniensium adsperserat olim Bæotios, plane abstergit: Isacius Tzetzes in Prolegomen: ad Lycophronem Corinnam inter τους δεκα ὀνομαστούς λυρικούς: et Pausanias (in supr. citato loco) solam prodit eam apud Tanagræos carmina composuisse. Illud etiam, quod statuum ipsius finxit idem Silanion, cui Sapphus imago debetur, de meritis Corinnæ nobis non parum persvadet. Præter λυρικούς νομούς sive ἄσματα aliaque, ἔπων reliquerat quinque libros, sed minus fervidum ejus ingenium et audax fuisse videtur, quam Pindari condiscipuli, cui cum objecisset, quod scriptis fabulas nullas insereret, isque admonitioni attentus carmen fudisset mythis promiscue congestis obrutum, ridens Nostra, manu, inquit, serendum est, non toto sacco. *Muscam* ideo Corinnam Pindarus vocavit, sicut et *suem* appellavit cum Thebis illa vicisset. (Tametsi lectionem ὄν apud

\*) Laudem non in eo quæro, quod a tarditatis eam suspicione liberat, sed in illo præsertim, quod una cum Pind. et Hesiod. nominat Corinnam.

Ælianum Var. Hist. XIII. 25, alii commutant). Videmus nimirum, poetas per omne ævum vere dici posse "genus irritabile."

Procedit alia, nec minore carminum laude insignis poetria *Praxilla*, Achæa, e Sicyone vel finitima terra oriunda, Olymp. 82, ut rectius statuendum viris doctis videtur (alii enim ætatem ejus ad tempus ipsa Sapphone antiquius rejiciunt) Atque hic etiam tristi oculo circumspicientes collapsas tot Græciæ felicis illius ruinas, nisi seriorum scriptorum testimonia, fragmentorumque particulas, nil nobis superesse reperiemus. Quando vero apud Athenæum (l. 15 p. 694 ed Casaubon) de illa: "Ἐθαυμάζετο δὲ ἐπὶ τῇ τῶν σχολίων ποιήσει" legimus, affirmantque alii, eandem aliis poeticæ generibus, *παροινίοις* (fortasse vero iisdem ac scoliis) *μελῆσι*, *διθυραμβοῖς*, *ῥυμνοῖς* (ut in Adonidem cujus adhuc habentur versus duo) excitasse magnam suorum hominum admirationem; quis nostrum quoque eam non merito suspiciet? Animadvertendum vero est in hac poetria, quod et ad talia carminum genera ausa sit accedere, ad dithyrambos, qui teneritati et forte verecundiæ repugnarent femineæ, quique non nisi vjrilis animi fructus esse viderentur. Esse tamen potuisse, opinor, jam cultioribus illis

temporibus (ætatem enim Praxillæ ad Periclem et bellum referunt Peloponnesiacum) qui non ea, qua Græci antiquiores, temulentia dithyrambos suos perfunderent \*). Scoliis autem maximum sibi honorem acquisivit. Nam Athenæus eam in hoc genere cum Alcæo jungit atque Anacreonte. Veteres denique, ingeniorum optimi iudices, tanti Praxillam æstimavere, ut statua ejus, à nobilissimo artifice Lysippo fabricata Athenis collocata sit, ubi honoris, tanquam solis benigno calore amoenissimi quicunque artium flores gaudebant.

*Nossis* (non *Lesbia*, secundum opiniones quorundam, sed *Locrensis*, æqualis *Rhintonis Tarentini* vel *Syracusani*, qui claruit circa Olym. 116) carmina paullo post fecit, quam ab *Alexandro Magno Persarum regnum subactum* est. Epigrammata sunt hujus duodecim, quæ injurias temporum evaserunt, mollem sane Musam spirantes. Cum vero *Schneiderus* (*Selecta poetiarum carmina et fragmenta*, pag. 175)

\*) Apud *Fabricium* lego, inter dithyrambos *Praxillæ odam in Achillem* quandam ab *Hephæstione* relatum. Ergo in *Bacchum* dithyrambus non semper decantatus fuit.



”licet non multos,” dicit, ”prædicatores nacta (Nossidis carmina) fuerint, his, cum internum ipsis competeret pretium, ne indignere quidem,” potuerim haud quidem illi assentiri iudicio. Omisso enim, quod epigramma per se, quamvis sit perfectissimum elegantissimeque perpolitum, vix ad veram poesin pertinere verumque facere poterit poetam: e quidem tales non valeo hisce in versibus dotes deprehendere, ut propter illos solos poetria sibi honorem eximium mereret. Notum cuique est, Græcos longe plura requisivisse in illis, quos salutarent poetas, magnisque suorum ingeniorum nominibus insererent. Omnino itaque ad prædicatores confugiendum est, si de vero poetriæ hujus pretio statuere quid velimus. Et quanquam magnopere vereor, ne ipse de nugis proferendis accuser, non potero tamen non inter prædicatores istos ipsam Nossidem locare:

· δεξαι βυσσινον εἶμα, το τοι μετα παιδες ἀγλαας  
 Νοσσιδος ὑφανεν Θεοφιλις, ἔ Κλεοχας

inquit in epigrammate, in quo una cum matre sua consecrat vestem Junoni: byssinam Aliud est:

ὦ ξειν' εἰ το γε πλείς ποτι καλλιχορον Μιτυλαναν  
 τᾶν Σαπφους χαριτων ἀνδρος ἀμησομενος \*),  
 εἶπειν, ὡς Μουσασι Φιλαν, τηνα τε Λοκρις γᾶ  
 τικτην ἴσαν, ὅτι θ' ὀι τουνομα Νοσσις —

Quantum sibi hic sumit poetria Nostra! At  
 cur vanam id jactationem putabimus? Enim-  
 vero, si cum illis jungamus verba Meleagri:

— — μυροπνουν εὐαθεμον ἴριν

Νοσσιδος, ἥς δελτοις κηρον ἐτήξεν Ερως \*\*)

et quod ab Antipatro Thessal. (Brunck. Anal. V. P.  
 vol. 2 pag. 114) novem adscribatur poetriarum  
 choro, ingenuam ejus illiam, pariter ac Horatii,  
 Ovidii, aliorumque, censebimus gloriationem  
 et lauream huic quoque coronam porrigemus.

Majorem, quæ sequitur, *Anyta*, famam  
 esse assecuta videtur. Tegeatis fuit, ut inter

\*) Lectionem seqvor cel. Jacobsii, neque Schneide-  
 rum, cum, Brunckio præeunte, ταν Σαπφω,  
 χαριτων ἀνδρος ἐνοψομενος, legat, ætate  
 Nossidos ad Ol. 116 jam relata, bene intelli-  
 gere possum. Durior saltem sententia, necesse  
 est, inde oriatur. Num enim Sapphonis ima-  
 ginem, vel umbram viseret ille hospes, et cum  
 eadem colloqueretur?

\*\*\*) Jacobsii Anthol. Græc. Vol. 1 p. 1.



criticos convenit, (quorum sunt tamen, qui duas ejusdem nominis, alteram Mitylenæam, alteram Tegeatidem, confundant) vixitque Olymp. 120. Quomodocunque se habet veritas istorum, quæ Pausanias (libro decimo in Phocicis cap. 38) refert: 'Anytam a deo, qui Epidauro colitur, missam fuisse cum tabulis obsignatis, et per visum in quiete acceptis, ad Phalysium quendam, oculis fere ad cæcitatem usque laborantem, eundemque, cum, tabulis resignatis, in ceras adspexisset, a morbo protinus fuisse liberatum"; observamus tamen, Anytam hic diserte vocari "την ποιησασαν τα επι." Ceterum et χρησιμοποιοῦν, ut plures alias, (de quibus infra afferendum) fuisse Nostram reperimus. Reliquit epigrammata 14, quorum nonnulla, si quid judico, elegantissima. Nec mediocriter eam commendat statua, quæ ab Enthycrato, et Cephissodoto, celeberrimis illa ætate statuariis, in honorem ipsius efformata est. Honorificum quoque in Anthologia sua (epigr. 1) locum Meleager ei assignat. Summo autem præconio eam ornat Antipater Thessal. (Brunck Anal. Vol. 2, pag. 114, XXIII) ubi σομα, quæ et Æschyli laus fuit apud antiquos (vid. Olearium pag. 131) tribuit Anytæ, ἑλληνικὴν δὲ dicit Ὀμηρικόν

(licet de hac laude idem valere videatur, quod de Erinna jam annotavimus). —

In diversam iterum migramus regionem, ubi altera statua, ab eodem illo Cephissodoto, alii poetriæ, Myroni (Olymp. 125) erecta nitet. Fuit Μυρω Βυζαντια, ποιητρια ἔπων και ἑλεγείων, και μελων. Ομηρου του Τραγουικου δυγατηρ, γυνη Ανδρομαχου, του επικληθεντος φιλολογου \*).

Fuit et

Μυρω κυδαλιμη Βυζαντιη, ἦν ἔτι παιδνην  
Ἔτρεφον εὐεπιης ἠρωιδος ἰδμονα Μουσαι \*\*).

præter epigrammata nonnulla, fragmentum est apud Athenæum, lib. XI, heroici carminis, "Μνημοσυνη" inscripti, virtutum varietate, ut ait Schneiderus (p. 212) distinctum.

Hæc cum potissimum habeamus de poetria illa, quæ magnam nacta esse videtur celebritatem, afferenda, mox transgrediemur ad ultimam in ordine Nostrarum, quam etiam festinabundi modo indicabimus: *Telesillam* dico (Olymp. 139) quæ Cleomenem Lacædæmoniorum regem, fe-

\*) Suidas in Μυρω.

\*\*) Brunck, Anal. Vol. 2 p. 471.

minas Argivas obarmando vicit urbemque defendit. Idem vero Pausanias, qui (lib. 2 in Corinthiacis cap. 20) hoc refert, aliud addit, quod ad nostram rem faciat vehementius: ὑπερ το θεατρον, dicit, Αφροδιτης ε̄σιν ῑερον, ε̄μπροσθεν δε του εδους Τελεσιλλα, η̄ ποιησασα τα ᾱσματα, ε̄πειργασαι σ̄ηλη, και βιβλια μενεκεινα ε̄ρριπται δῑ προς τοις ποσιν, αυτη δε ε̄ς κρανος ο̄ρα, κατεχουσα τη χειρι, και επιτιθεσθαι τη κεφαλη μελλουσα. η̄ν δε και η̄ Τελεσιλλα και ᾱλλως εν̄ ταις γυναιξιν ευδοκιμος, και μᾱλλον ε̄τιμᾱτο ε̄τι επῑ τη ποιησει. Itaque et hanc censebimus poetriæ nomine dignissimam \*). — Brevi jam exhibito novem illustrium conspectu, cur in tanta ingeniosarum apud Græcos fæminarum multitudine illas potis-

\*) Corpus habuit Telesilla infirmum. Cui medicinam quærens, oraculo adito, responsum tulit: "Musas ipsi medicinam præstituras." Carmini igitur et musicæ operam navare cæpit, ab eoque inde tempore et valetudine rectius utebatur, et carminibus admirationem inter fæminas movebat. Quid? si altior in narratione hac sensus latuerit? Si sententia occulta erit: artes humanitatis sæpe animos cultorum suorum tranquilla quædam voluptate perfundere, quæ et in corpora viam suam exserat salutarem? — Mihi saltem ita videtur.



simum recensendas sumiserimus, in promptu est ratio. Nam cum manca sit atque incerta maxima pars Testimoniorum, quæ de omnibus Græcis poetriis ad nos pervenerint, ipsarum autem e scriptis nil nisi versus paucissimi et epigrammata supersint: antiquis, necessarium fuit, Grammaticis, licet hic et illic puichritudinis pravo sensu inductis, fidem in selectu illarum faciendo adhibere. — Videmus igitur, flores novem poetriarum per omnia fere sparsos fuisse tempora, quibus Græci fecunditate ingeniorum, elegantia et perfectione artium scientiarumque, copia magnorum virorum, rerumque publicarum splendore, quasi clarissima in luce versarentur et palmam sequentibus sæculis præriperent. — Novem enim illarum ætates incidunt intra Olympiades 44 — 139, spatium, si non diligentissime computamus, annorum 300, ita ut terminos tantum non ultimos figamus ætatem Solonis (Ol. 46) mortemque Aristotelis (Ol. 114) — Videmus, non solum tempora omnia, sed omnes quoque Græciæ regiones feminas poetica laude inclytas habuisse; ita ut primum ex insulis (v. c. Lesbo, ubi natæ sunt Sappho atque Erinna) oriunda, mox quasi transmigraverint ingenia ad ceteras totius fere Græciæ nationes, ad Bæotiam, Acha-



jam, Locros, Arcadiam, Argos, Byzantium denique, terminum veluti culturæ, et

τασδε Θεογλοσσους Ἐλικῶν ἐθρεψε γυναίκας  
ὑμνοῖς, καὶ Μακεδῶν Πιερίας σκοπέλοσ,  
Προξίλλαν, Μυρῶ etc. etc.

— — — — —  
πώσας ἀενναῶν ἐργατίδας σελίδων.

ἐννεα μὲν Μουσας μέγας Ὀυρανός. ἐννεα δ' αὐτας  
Γαῖα τέκε, θνατοῖς ἀφθίτον εὐφροσυναν \*).

Idoneam non facile causam invenire potero, cur Olearius quindecim amplius Sibyllas poetiarum in numero reposuerit. An quod talia, ut plurimum, vaticinia versibus inclusa edebantur? Metricum scilicet quodcunque ad poesin pertineret? — Gravioris vero momenti nobis illud est, quod inter septuaginta et sex ab eodem autore numeratas Græcorum poetrias, plures occurrunt, quarum alias supra mediocritatem se saltem evexisse alias nomen etiam attigisse illustre conjiciamus. Illarum sunt *Anagora* Milesia, *Damophyla*, *Eunice* Salaminia, Sapphus μαθητριά (\*\*); — harum

\*) Brunck Anal. V. P. Vol. 2 p. 114, XXIII.

\*\*) Opinor, non tam in *theoria* (ut nos dicimus) poeseos, quam in Musica et metrorum recte adhibendorum arte scholam hanc Sapphus fuisse versatam.

*Learchis, Mnesarchis, Mystis, Praxigoris, Thalarchis*, quibus, pariter ac novem Nostris (Nosside excepta) statuas erectas fuisse legimus. De Cleobulina enim, Eurydice, Hedyla, Irene, et Theosebia (quas in eodem cum celeberrimis choro Schneiderus collocat \*), causa modo pauculorum fragmentorum) nil constat unde præstantiam earum cognitam habeamus.


Quot autem ingeniis, non solum virorum, sed feminarum etiam abundavit Græcia antiqua, et quam altas per totam illam radices humanitatis artes semper egere! —

---

\*) Selecta Poetriarum carmina et fragmenta.

**F**estum, quod in diem IV Juli, hora antemeridiana X. incipiendum indicimus, ita celebrabitur, ut vir summe venerabilis, longeqve celeberrimus, *D. Fridericus Münter*, Selandiæ, Ordinumqve Regionum Equestrium Episcopus, Commendator Danebrogicus, oratione habita, Rectorem scholæ Roeskildensis *D. Severinum Nicolaum Johannem Bloch*, Professorem, Equitem Ordinis Danebrogici, virum doctissimum clarissimumqve, solenniter inauguret, Rectorqve deinde, cathedra conscensa, viris doctissimis, *Joachimo Suhr*, magistro primario, et *Petro Thrige* scholæ adjuncto munus traditum publice gratuletur a **C**osperrima quæqve rite precetur. —

Hisce igitur solennibus, ut frequenter in-  
teresse velitis, quotquot artes ingenuas et scho-  
lam nostram studio et favore amplectimini,  
qua par est observantia, diligentissime ro-  
gamus. —





# C a n t a t e

ved

Høitideligheden

i Roeskilde Cathedral-Skole

den 4de Juli 1816,

af

Pastor *E. Wegener.*

Musiken af Cantor *Hartmann.*

## For første Tale.

Chor.

Hil være dig Dag! som vi skue saa glad,  
Thi ventet med Længsel Du kommer.  
Hver frodige Plante, hvert spirende Blad  
Udvikles i frugtrige Sommer,  
Naar kyndige Gartner med varlige Flid  
Rögter den Have i Foraarets Tid.

## Een Stemme.

Vor Have stod  
 Forladt og ene,  
 Den blöde Rod  
 De spæde Grene  
 Har savnet Pleiehaand.  
 Nu frodigt staae  
 I Havens Bede  
 De Planter smaae,  
 Thi dem mon frede  
 En övet Gartnerhaand.

## For anden Tale.

## Fire Stemmer.

Hædersmand! velkommen hid!  
 Kiærligen vi Dig omfavne  
 Himlen signe her Din Id,  
 Længe iblandt os Du gavne!

## Efter anden Tale.

## Een Stemme.

Gamle Skole önsk dig Held!  
 Hædret du dit Navn skal bære  
 Mellem Roeskilde Væld  
 Du en aandig Kilde være!

Ud fra dig gid stedse maae  
 Mangen haabfuld Yngling træde,  
 Fædrelandet Hæder faae,  
 Musers Chor ved dig sig glæde.

## Choral.

Sign vor Idræt Viisdoms Aand!  
 Lad vort Samfund være  
 Knyttet ved et trofast Baand,  
 Fliden Frugter bære!  
 Lys i Hoved, Hjertet varmt for Dyd  
 Vorde altid her vor Ungdoms Pryd!

---